

Ka  
3328



Joh. 1728. no. 12.

DAN. FRIDERICI HOHEISELII  
IVRIS VTRIVSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS  
QVONDAM IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
CELEBERRIMI

# DISQVIVISIONES T R E S



I.

*De Principiis Iuris Naturae, Diss. def. a. 1727  
resp. Christoph. Henr. L.B. ab Culemburg.*

II.

*De primis Interpretationis Lineis, Diss. def. a. 1728  
resp. Geo. Sigism. a Seydlitz.*

III.

*De Methodo docendi Antiquitates  
iuris Romani, Progr. ed. a. 1728.*

IN CATHEDRA PVBLICA  
OLIM DEFENSÆ,

NVNC VERO OB SINGVLAREM VTILITATEM  
RECVSÆ.

Hae 3328

nov 1731



HALAE  
LITTERIS IOH. CHRIST. HENDELII, ACAD. TYP.



15

THE UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE  
LIBRARY



Va 3328



DISPUTATIO I.  
DE  
PRINCIPIIS JURIS NATURÆ

RESPONDENTE  
CHRISTOPHORO HENRICO  
LIBERO BARONE AB EULENBURG.

BORUSS.  
d. XXXI. Mart. H. L. Q. C.

CONSPECTUS.

Naturali adpetimus instinctu mentem tranquillam corpusque sanum. §. I. h. e. felicitatem §. II. Studium felicitatis voluntati divinæ congruit §. III. unde & nobis jus competit, prospiciendi nobis de felicitatis nostræ mediis §. IV. definitio juris §. V. Alii nobis obligantur ad id, ut felicitatem nostram promoveant. §. VI. definitio obligationis §. VII. sed & eadem nobis erga alios homines incumbit obligatio §. VIII. quæ reciproca est §. IX. Obligamur præterea ad diuturnitatem & felicitatem humani generis promovendam §. X. Nulla nos obstringit obligatio ad instinctum, quo ad conservationem ferimur, exuendum §. XI. sed jus nostrum atque obligatio erga singulos cedit felicitati humani generis §. XII. Non tamen jus nostrum postponendum obligationi erga singulos §. XIII. Ex dictis concluditur principium Juris Nat. de officiis *indeterminatis* §. XIV. Alterum principium de officiis *determinatis* §. XV. & quidem *reciprocis* §. XVI. denique de officiis *beneficis*, tam *innoxia humanitatis* §. XVII. quam *beneficis* præse dictis §. XVIII. Officia benefica conscientiis hominum sunt relinquenda §. XIX. Triplicia igitur sunt Juris Nat. officia, *indeterminata, determinata reciproca & benefica.* §. XX. Ostendemus jam, qua in re nostra principia cum doctrinis aliorum conveniant, atque ad dubia respondebimus. §. XXI. Obligationis fundamentum quæsimus in voluntate Dei, secuti *Per-Illustr. Dn. L. B. a Cocceji.* §. XXII. An & quatenus nostra fundamenta cum principiiis *justi, honesti & decori B. Dn. Thomasi* conspirent §. XXIII. A principiiis *Celeb. Dn. Wolffii* cur recesserimus §. XXIV. Ut dubia eximantur, ostenditur, principium Juris Nat. nec unum esse de.

A

bere

bere, nec indemonstrabile §. XXV. An necessarium felicitatis desiderium refutetur exemplis propitiorum? §. XXVI. An contrarietur ei jussus Principis, adeundi mortis pericula? §. XXVII. Num brutis nostra principia tribuant Jus Naturæ? §. XXVIII.

## §. I.

**I**nsitam nobis omnibus atque innatam deprehendimus cupiditatem, vitam tuendi nostram, corpusque factum atque incolume servandi. Quamobrem & ab omni malorum metu, huic cupiditati contrariorum, abhorremus, atque ubi hæc superari nequeunt, tristitia adficimur, quæ necessario nobis est ingrata. (a)

(a) Quum ea, quæ diximus, ex *immediata sensione interna*, cujus quisque sanus homo sibi est conscius, singulis liqueant; demonstrari nec possunt, nec debent. (per principium logices)

## §. II.

Hoc est, perpetuo eodemque necessario ferimur desiderio ad *felicitatem*, quæ (sensu philosophico) nihil est aliud, quam *vita, sano atque integro corpore, & tranquillo animo servata*.

## §. III.

Quum igitur felicitatis desiderium naturæ humanæ arctissimo junctum sit vinculo (§. II.) sequitur, ut ab auctore nostræ naturæ, hoc est, DEO originem repetat suam; quicquid a DEO nobis insitum est, id utique divinæ congruit voluntati. Contradictionem enim involveret, DEUM nobis indidisse instinctum, quem in nobis existere nolisset: adeoque *voluntati divinæ conforme est, adpeti a nobis felicitatem*.

## §. IV.

Quoniam autem *media* promovendi felicitatem nostram & *requiruntur varia*, & *superesse solent* nobis, &, quamdiu *superfunt*, *libere a nobis eligi possunt*: (b) inde colligimus:  
dum

dum DEUS indidit instinctum, quo ferimur ad finem (§. III.) *voluntari* etiam *divinæ consentaneum esse*, ut *eligamus media*, ad finem istum facientia. Quicquid ad felicitatem nostram tendit, voluntati divinæ congruit, & libertate physica a nobis suscipitur, id ipsum peragendi *facultas lege concessa* nobis competit, (voluntas enim divina, nostras dirigens actiones, lex est) id ipsum autem *jus* vocamus.

(b) Prima & altera propositio e sensatione externa; tertia interna e sensatione patent. e. gr. Requiritur ad felicitatem nostram victus, amictus, habitatio &c. Sed quamplurimæ vel adsunt, vel acquiri a nobis possunt, ac mente representantur res, quibus fami, siti, nuditati, injuriis aëris &c. obviam eamus. Itaque *libere* a nobis *eliguntur*. Notanter autem addidi in hac §. *quamdiu media supersunt plura*: Fac enim in nave *unicum* superesse *medium* famem depellendi, atque hujus adpetitio desinet jam esse *actio libera*; id ipsum vero est, quod *casum necessitatis* adpellamus, qui est *ea hominis conditio, qua unicum ipsi superest medium, explendi desiderium suum physice necessarium*.

## §. V.

Sic itaque *jus* nihil est aliud, quam *facultas legibus concessa, faciendi illa, quæ ad felicitatem propriam promovendam libere suscipiuntur* (§. IV.) Ergo habemus jus, eligendi media, ad nostram facientia felicitatem (eod.)

## §. VI.

Sed quum alii homines, libertate physica usi, intercipere nobis possint felicitatis nostræ media, imo vitam destruere; isthæc autem facta *juri* nostro (§. V.) atque instinctui physico (§. I. & II.) voluntati denique divinæ repugnent: (§. III. & IV.) sequitur, aliis hominibus incumbere *obligationem*, ne felicitatem nostram & perceptionem mediourum ejus turbent, sed eam potius promotum eant.

## §. VII.

Est quippe *obligatio necessitas aliquid agendi* (vel omittendi) *per declaratam legislatoris voluntatem inducta, qua actiones physice liberæ ad voluntatem hanc componendæ sunt, ut officia aliis debita exhibeantur.*

## §. VIII.

Sensibus autem externis docemur, alios homines æque homines esse, ac nosmet ipsos, unde sequitur, iisdem eos ferri instinctibus naturalibus (§. I. & II.) adeoque & ipsis competere jus, de mediis felicitatis suæ sibi prospiciendi (§. IV. & V.) & consequenter nobis incumbere obligationem, ut aliorum hominum felicitatem promoveamus (§. VI. & VII.)

## §. IX.

Unde obligationes hominum sunt reciprocae, & æquale singulorum est jus. (§. VIII.)

## §. X.

Denique quum nos una cum aliis hominibus *universum humanum genus* constituamus, ex universali isto ad felicitatem instinctu (§. VIII.) ac tot tantisque mediis, quibus totus instructus est orbis, ad felicitatem multorum hominum abunde sufficientibus, colligimus, DEUM etiam velle, ut *universum humanum genus diuturnum & felix sit* (§. III.) adeoque esse & hanc nostram *obligationem*, ut *actiones physice liberæ* (licet iis singuli non lædantur) *ad diuturnitatem & felicitatem humani generis promovendam componamus.* (§. VI. & VII.)

## §. XI.

Quæ de *instinctu*, quo ad felicitatem promovendam ferimur, de *jure nostro*, denique de *obligatione* hætenus deducta sunt, si inter se conferantur, facile liquet, *ad instinctum nostrum exuendum, nullam posse concipi naturalis Juris obligationem.* Nam instinctus iste est necessarius (§. I. & II.) actio  
autem



autem necessaria non est physice libera; sed deficiente actionis libertate, deficit jus (§. V.) & obligatio (§. VII.) Scilicet aut lex aliquid præciperet instinctui nostro consentaneum, aut contrarium; illud *superfluum* foret, hoc *feri non posset*: Ergo hoc relinquitur, leges versari circa actiones physice liberas (cit. §. V. & VII.)

## §. XII.

Econtrario autem *jure eligendi media*, ad felicitatem nostram facientia; *libere uti possumus*: (§. IV. & V.) cumque DEUS & *humani generis*, & *singulorum hominum intendat felicitatem*, (§. VIII. IX. & X) sequitur, *præferendam esse obligationem erga humanum genus obligationi erga singulos, imò & proprio felicitatis juri.* (c)

(c) Deus omnes ac singulos homines vult reddi felices, adeoque magis cupit plurimum felicitati prospici, quam unius. (per ratiocinium mathematicum) Fac, patrem, omnes liberos suos servaturum, se una cum illis e naufragio in scapham recepisse: in ipso autem mari deprehendere, scapham tot hominum onus sustinere non posse, sed ne omnes pereant, jactum unius esse faciendum: & projiciet is sane unum aliquem filiorum, ut servantur reliqui. Sic igitur liquet, justum & voluntati divinæ conforme esse, hominem facinorosum reddi infelicem, ut omnium felicitati prospiciatur &c. &c.

## §. XIII.

Denique sive proprius *instinctus*, quo nostram ad conservationem ferimur, sive *jus nostrum cum obligatione erga singulos collidatur*, *conservatio nostra necessario* (§. II. & XI.) *jus autem nostrum licite præfertur.* (§. IX.)

## §. XIV.

Ex hætenus demonstratis sequentia fluunt Juris Naturæ principia: *Talem te exhibe* (agendo & omittendo) *qualem te esse postulat salus & conservatio humani generis* (§. X.) *salvo tamen ad felicitatem tuam instinctu* (§. XI.) Quæ inde fluunt

OFFICIA vocamus INDETERMINATA h. e. ad specialem personam non directa.

## §. XV.

*Sed & talem te gere (agendo & omittendo) qualem te esse requirit felicitas singulorum (§. VIII.) cum felicitate humani generis (§. XII.) tuoque ad felicitatem instinctu eamque promovendi jure haud collisa. (§. XIII.)* Inde deducta OFFICIA DETERMINATA a nobis appellantur.

## §. XVI.

Quum autem ad modo adducta officia determinata æqualis singulis hominibus incumbat obligatio (§. IX.) sequitur, alterum alteri (extra casum necessitatis (§. IV. b. & §. XI.) obstrictum esse, ut intacta relinquat felicitatis ejus media, imo & rebus suis operisque media ejusmodi in alterum conferat, ita tamen, ut ubi hæc cum proprio alienanda sint detrimento, & alter in promptu habeat alia felicitatis media, quibus alteri prospicere possit, mutua esse debeat hæc officiorum collatio seu permutatio. Vocamus hæc OFFICIA DETERMINATA RECIPROCA. (d)

(d) Est hoc fundamentum omnium contractuum onerosorum, quibus agendo reciproca exhibentur officia; ut & cur ab internectione, vulnere, fame integræ imminutione, rapina, spolio, fraude abstinere debeamus, quibus casibus *omittendo* reciproca officia præstentur.

## §. XVII.

Econtrario autem si aliquod felicitatis alienæ medium absque ullo nostro & humani generis detrimento in alterum conferri potest, gratis illud est exhibendum. Quia enim collatio æqualis postulatur ob jacturam, quam patimur, (§. XVI.) hac cessante, nullum potest allegari fundamentum, cur nollemus gratis aliorum felicitati promovendæ studere, ad quod tamen obligamur

gamur (§. VIII.). Quæ inde deducuntur, nomine OFFICIORUM INNOXIÆ HUMANITATIS veniunt, sive, latius accepto vocabulo, OFFICIORUM BENEFICORUM nomine comprehenduntur. (e)

(e) Ergo gratis porrigendus est ignis ei, qui indiget; erranti monstranda est via; pravus homo adhortationibus in ordinem redigendus &c. &c. Circa quod ultimum obiter observamus, ad id etiam officia *indeterminata* nos obstringere: pravus enim homo societati humanæ & civili incommode est & periculo. (§. XIV.)

## §. XVIII.

Sic quoque *si collatio mediorem quorundam felicitatis alienæ* (h. e. rerum vel operarum) *cum jactura quidem nostra est conjuncta; sed alter careat felicitatis mediis, quæ in nos possit conferre, sequitur, & hæc gratis esse exhibenda* (§. XVI. in fine) *dummodo id absque nostro & humani generis incommode fieri possit* (§. XII. & XIII.) DEUS enim omnes & singulos homines vult servari (§. VIII. & X.). Ergo & egenos & miseros, h. e. felicitatis mediis destitutos: qui cum nihil habeant, quod in nos possint conferre, sequitur, eos ad reciprocam hanc collationem non obstringi. (§. VII.) Hæc vocamus BENEFICIA *presse dicta*. (f)

(f) Ergo dandæ sunt eleemosynæ; sed non robustis & bene valentibus mendicabilis, hujusce enim furfuris homines *operas* in te suas conferre possunt: nec ita, ut ipse cum liberis tuis egeas; multo minus robustis atque otiosis delinquentibus, hi enim obfirmantur in malitia sua cum *humani generis ac reipublicæ damno & periculo*. Idem de aliis beneficiis dicendum.

## §. XIX.

Quum vero ad officia determinata *reciproca* omnes homines (sola necessitatis casu excepto) *simpliciter* obstringantur: (§. XVI.) circa officia autem *benefica* frequenter evenire queat,

queat, ut eorum præstatio maximo cum *incommodo* nostro sit conjuncta, quo casu nostra cessat obligatio (§. IX. & XVIII.) sequitur, quemvis alterum ad officia reciproca posse adigere; officia autem benefica (h. e. tam officia innoxie humanitatis, quam benefica presse dicta) conscientie cujusvis, a quo petuntur, relinquenda esse, nisi extrema necessitas, obligatione carens, flagitantem premat (§. IV. b. §. XI. §. XIII.). (g)

(g) Alia ex jure civili potest adferri limitatio: nisi ob concurrans publicum commodum, obligationem hanc perfectam esse jusserit lex civilis, quale tutela exemplum præbet: sed limitatio hæc hujus loci non est.

#### §. XX.

Ergo omnia Juris Naturæ OFFICIA vel sunt INDETERMINATA (§. XIV.) vel DETERMINATA; (§. XV.) hæc autem vel RECIPROCA (§. XVI.) vel BENEFICA, quæ subdividuntur in officia *innoxie humanitatis* (§. XVII.) & *beneficia presse dicta*. (§. XVIII.)

#### §. XXI.

Hisce fundamentis non solum universum Jus Naturæ; verum & (adscitis simul politices regulis) jus privatum & publicum superstruimus. Quamobrem operæ pretium existimamus, brevibus adhuc ostendere, in quonam hæc principia cum doctrinis aliorum conveniant, & quomodo dubia, quæ adversus philosophemata nostra moveri possunt, sint eximenda: utrumque perficiemus absque arrogancia, odio & studio, quorum causas procul habemus.

#### §. XXII.

Et fundamentum quidem omnis obligationis a voluntate divina repetii (§. IV.) persuasum penitus habens, non concipi posse obligationem absque legislatore; sed a solo supremo Numine universum humanum genus leges accipere. Facem nobis hic prætulit PER-ILLUSTRIS DOMINUS LIBER BARO A

COC.

COCCEJI in *Disput. sub Præs. B. DN. PARENTIS olim habita, de Principio Juris Nat. vero & adæquato. Vide in primis §. 12. §. 33. & 34. (b)*

(b) Exstat illa in *Disput. ILLUSTR. quondam DN. A COCCEJI Tom. II. Disput. XVIII.*

## §. XXIII.

Ad regulas ipsas practicas Juris Naturæ quod attinet, non dissimulamus, nostra Juris Naturæ fundamenta cum principiis *justi, honesti & decori* B. DN. THOMASII posse utcumque conciliari. Si quis enim nostra officia *indeterminata* officia *honesti* vocare; si officia *determinata reciproca* officiorum *justi* appellatione insignire; denique *officiis beneficis* nomen officiorum *decori* imponere maluerit, non refragabimur. Abstinuimus autem nos ab hisce denominationibus, tum quia revera ex isto fonte nostra non hausimus principia: tum quia disertis lectorem nostrum verbis monemus, ne regulis omnibus, in classes istas a Viro laudato relatis, nostris e principiis deducendis studeat, oleum enim perdet & operam: tum denique quia ista vocabula multis æquivocationibus sunt obnoxia, in primis vocabulum *decori*. Et quamvis B. DN. THOMASIIUS in *cautelis circa præcognita jurispr. Cap. XV. §. 10. seq.* expressè moneat, *decorum politicum* non esse cum *principiis decori Juris Naturæ* confundendum: vereor tamen, ut discrimen hoc ab iis, qui ipsius sequuntur fundamenta, curatius servari possit. (i) Præterea nostra principia ita sunt limitata & restricta, ut nulla in iis occurrat contradictio: An idem de principiis *justi, honesti & decori* salva veritate adferri possit, lector candidus ex B. DN. THOMASII *Fundam. Juris Nat. Lib. I. Cap. 6. §. 64. seqq.* judicabit.

(i) Scilicet principium *decori* est hoc: *quod vis ut alii sibi faciant, tu tibi facias*, ex quo eadem facilitate deduci possent regula *decori politici*, qua officia Juris Nat.

B

§. XXIV.

## §. XXIV.

Illud etiam atque etiam a lectoribus nostris petimus, ne forte conciliationem quandam nostra inter & CEL. DN. WOLFFII principia Juris Nat. tentent. Verba quidem: *Quæcunque ad tui & aliorum hominum status perfectionem faciunt, age &c.* non plane ac nostris principiis videntur aliena, & loco *perfecti status* nos saltem *felicitatis promovendæ* mentionem fecisse reputari possemus: Quodsi tamen in ipso systemate considerentur philosophemata moralia CEL. WOLFFII, a nostris toto cælo differunt. Nam ille *jus cum obligatione* palam miscuit; hinc etiam *politicam* inter & *Jus Naturæ* nulla ipsi est differentia, nisi quod cancellis *officiorum absolutorum* Jus Naturæ; *hypotheticorum* autem, seu varios hominum status supponentium, politicam circumscripserit. Genuinum philosophiæ moralis *Wolfianæ* principium est *propria utilitas*. Vid. *Wolffens vernünftige Gedancken von der Menschen Thun und Lassen* §. 11. Licet enim in §. 12, ubi ipsam proponitur principium, mentio etiam fiat *aliorum hominum*, de iis tamen in præcedentibus altum est silentium, & peccat ista propositio contra regulam logices: ne sit *plus* in conclusione quam erat in præmissis. Porro aliter ipsi definitur obligatio, quam nobis, & ita quidem, ut metum incutere, consilium dare, legem ferre, nomine obligationis comprehendantur; nam si obligare est, *connectere cum propositione quadam argumentum movens*, (vid. Wolff. cit. l. §. 8.) omnibus, quos recensuimus, casibus aderit obligatio. Alia ut nunc silentio transeam.

## §. XXV.

Accingo me potius ad scrupulos, ex animis lectorum eximendos, qui circa principia mea superesse possent. Id quidem nos parum vexat, quod vulgo contendunt, principium Juris Nat. non solum *verum & adequatum*, (tale enim nostrum esse peni-

penitus persuasum habemus) sed & unum ac *indemonstrabile* esse debere. Quum enim Jus Naturæ ita tradendum sit, ut inde tam *officia* erga alios, quam *jura*, nobis competentia, possint intelligi, hinc primum juris Nat. principium non potest non esse propositio composita, sed omnis composita propositio constat pluribus, quam *duabus ideis*, ex his autem possunt formari plures propositiones. Nec potest principium Juris Naturæ *demonstratione carere*: omnis enim propositio, quæ demonstrari non potest, ex immediata sensatione desumpta est; & concipi nequit veritas, ope sensuum immediate intellectui impressa, quæ principium disciplinæ, ideis mediatis compositis (seu per varias intellectus operationes & abstractiones formatis) constantis, exhibeat. Sufficit principium nostrum e propositione, quam sensibus edocti sumus (§. I.) esse demonstratum: ast hæc propositio nondum est principium Juris Nat.

## §. XXVI.

Circa hanc ipsam autem propositionem, §. I. & II. prolata, gravissima supersunt dubia. Diximus nimirum, omnes homines necessitate quadam physica ferri ad felicitatem & conservationem suam, utque veritas hujus propositionis perspiceretur, provocavimus ad cujusvis sensationem seu experientiam, hæc autem docet, homines interdum sibi met ipsis mortem adsciscere violentam, adeoque ipsa videtur experientia nostram refellere assertionem. Sed salva res est; Qui mortem subeunt sponte sua, vel *insani* sunt, vel mortem *vita infelici* præferunt, suamque vitam certo credunt fore infelicissimam. Jam vero diximus, nobis inesse instinctum adpetendi non unice *vitam*; sed *vitam felicem*, vitæque felicitati accensuimus *animum tranquillum*, (§. I. & II.) quamvis autem ad hunc obtinendum facilem nobis viam monstraverit natura, nihilominus tamen deprehendimus in hominibus habitus pra-

vos voluntatis, quibus stimulari, adpetunt, quæ minimè erant necessaria, tandem diuturna consuetudinè obfirmati, animo tranquillo esse nequeunt, nisi ipsorum desideriis satisfiat. Quum igitur consuetudo altera sit natura, quid mirum, homines hisce desideriis ita aliquando protrudi, ac si innata eadem essent ac necessaria, atque ipsi tandem naturæ bellum indicere, seu vim inferre? Sic multi sibi ex ambitione, utque immortale nomen reportarent, infestas intulere manus, quia animus, diu in hac contemplatione defixus, ita obfirmaverant, ut existimarent, non posse se *tranquilla mente*, h. e. feliciter vivere, nisi nominis immortalitatem sibi possent promittere, ad quam aliam sibi viam præclusam esse, reputabant. Firma igitur adhuc est nostra thesis, omnes enim, quotquot in propria sævierunt viscera, si potuissent convinci, satisfactum iri passionibus suis, servata vita, procul omni dubio eam morti prætulissent. (k)

(k) Lectu dignissima sunt, quæ de hac materia protulit auctor Batavus in libello, cui titulus: *Politike discoursen, handelnde in ses onderscheide Beken van Steeden, Landen, Oorlogen, Kerken, Regeeringen en Zeeden, beschreven door D. C. t' Amsterdam 1662. 8vo. Lib. VI. Discursu 29. pag. 298.*

#### §. XXVII.

Præterea secundum nostra principia princeps injuste agere videri posset, qui milites mortis periculum subire jubet. At non princeps ipsos ad id obligaret, nisi *cogeret* hostis: jam vero cum omnis generis calamitas atque infelicitas, imo ipsa mors ab hoste immineat, per defensionem injunctam non nostra mors, sed potius conservatio quæritur.

#### §. XXVIII.

Denique existimari posset Jus Nat. nobis cum brutis commu-



mune, nam & hæc feruntur ad propriam conservationem, id quod Stoicis forte olim imposuit. At secundum nostra principia ratio diversitatis in aprico est posita. Ut enim instinctus iste in *jus* & *obligationem* abeat, requiritur *cognitio voluntatis legislatoris*, (§. III. V. VII.) & *libertas physica actionum* (§. IV. V. VII.) utraque carent bruta, instinctu enim animali ad cibum, potum, Venerem propulsa, in proximum quodvis ruunt objectum, nisi ingratae sensationis metu deterreantur. Omnia igitur ex instinctu atque impulsu necessario sine libertate suscipiunt. Sed manum de tabula, ne præripiamus dissentienti materiam.

## COROLLARIA.

### I.

Ut ut plerorumque opiniones & disceptationes de principio Juris Nat. redeant ad *λογομαχίαν*; non tamen disputare de hoc argumento, per se est *λογομαχείν*.

### 2.

Scilicet plurimi methodo analytica Jus Naturæ sunt complexi, hoc est in eo tantum fuerunt toti, ut propositiones practicas hujus scientiæ *generalibus vocibus* utcumque complecterentur, has autem illustrarent atque explicarent ipsis dictaminibus practicis Juris Naturæ, id quod tamen pro specie demonstrationis falso venditarunt.

### 3.

At vero Jus Naturæ methodo synthetica est tradendum,  
h. e.

h. e. ponenda sunt talia principia, quæ per se, licet conclusiones adhucdum nesciantur, possint intelligi ac demonstrari, ex quibus deinde demonstrativa ratione ita deducenda sunt officia, ut licet quis dubitet, sintne furtum, rapina, adulterium &c. facta injusta, hujus tamen injustitiæ possit convinci.

4.

Nec hæc opera frustranea reputanda est, quæ potius ad solidam omnis juris positivi notitiam, multum confert.

5.

Hanc methodum negligens, potest quidem quamplurima egregia effata, ad Jus Naturæ spectantia, tradere, sed nunquam erunt universalia, atque innumeris scatebunt contradictionibus, si penitus fuerint examinata.

6.

Falsum est, quod vulgo tradunt; permissionem non esse legis actionem, sed actionis negationem: æque enim facultas agendi seu jus, quam obligatio expressa lege præscribatur, necesse est.

7.

Beneficia ex præcepto divino aliis hominibus exhibenda, præstari debent hominibus miseris: quæ igitur in vita civili in locupletes conferuntur munera, non ex principiis Juris Naturæ, sed *politices* derivanda sunt.

PER-

PER-ILLUSTRI  
DOMINO RESPONDENTI

S. D. P.

DISPUTATIONIS PRÆSES.

**O**bscuro quibus atque humili loco nascen-  
di conditio obtigit, illis, qui illustri a  
stirpe originem repetunt suam, longe in  
hoc esse feliciores videntur, quod illi,  
in obscuritate & silentio repositi, memoriam ho-  
minum effugiant prorsus, suisque demum factis,  
laude dignis, e tenebris proferantur; hi au-  
tem, in quos ipsa gentis claritas & celebre no-  
men oculos jam omnium animosque convertit,  
si majorum suorum meritis nec excellentiora,  
nec paria fecerint, sinistris cunctorum sermo-  
nibus carpantur: Inde evenit, ut plebeji ordi-  
nis homines si non laudibus cumulentur, saltim  
fere ab opprobriis soleant esse immunes; sed eos,  
quorum illustris est prosapia, aut gloria, aut  
vitu-

vituperium certissimum expectet, & singulae a-  
tavorum imagines exprobrare ipsis desidiam vi-  
deantur. Hisce, **PER-ILLUSTRIS**  
**BARO**, qui generis antiquitate & splendo-  
re innumeros vincis, paucissimis loco cedis,  
aliisque adhortationibus ad virtutem **TE** ac  
sapientiam privatos inter parietes accendere  
& sponte currenti calcaria addere consuevi:  
**TU** autem, iis haecenus locum relinquens, ani-  
mum & meditationis solidae & profundioris ju-  
risprudentiae praeceptis ita imbuiisti, ut publi-  
cam **TE**cum adscendere cathedram non dubi-  
tem. Pertexe modo quod exorsus es, ut  
**PER-ILLUSTRIS** atque **EXCELLEN-**  
**TISSIMUS DOMINUS PARENS TE**,  
dignum aliquando, quam de **TE** animo con-  
cepit, expectatione, summa perfusus letitia,  
recipiat. Vale. Dab. e museo VI. Calend.  
Aprilis. **MDCCXXXI.**



DISPUTATIO II.

*exhibens*

PRIMAS DE INTERPRETATIONE LINEAS

RESPONDENTE

GEORG. SIGISM. A SEIDLITZ, EQV. SILES.

d. VII. April. H. L. Q. C.

CONSPECTUS.

Interpretationis vocabulum est ambiguum (§. I.) denotatur illo

I. Adhibitio signorum  
externorum, quibus cogitationes nostras cum alijs hominibus communicamus (§. II.)

II. Declaratio verbis facta, se *ideas congruas* cogitare circa edita jam alio tempore verba, idearum indicia. (§. IV.)  
Ideæ tales congruæ

vel immediate, dum ipsi ista signa edimus (§. III.)

vel mediate, dum alius, nostro nomine, nostram ad notionem aliorum perducit (§. III.)

vel sunt principales, (§. V.) quæ exhibentur

vel accessoria, hinc interpretatio critica (§. V-IX.)

vel juxta rei veritatem & usum receptam vocum significationem (§. X.) quibus denotantur

vel secundum mentem ejus, cujus verba exponuntur, hinc interpretatio probabilis logica (§. XVIII. sqq.)

res immediate sensibiles, hinc interpretatio grammatica (§. XI. & XII.)

res abstractione mentis intelligentiæ, (§. XIII. sq.) quas exponimus

verborum proprie acceptorum (§. XVII-XX)

allegorice expostorum, hinc interpretatio mystica (§. XXI-XXIII.)

versio. (§. XII.)

paraphrasis. (§. XII.)

vel confuse, ubi iterum sufficit interpretatio grammatica (§. XIII.)

vel distincte hinc interpretatio

demonstrativa, itidem quidem logica, (§. XIV.) sed principia aliarum disciplinarum supponens (§. XXVI. & XXXVII.)  
utraque

probabilis (§. XV.)

vel confirmans mentem auctoris (§. XVI. & XVII.)

vel refutans (§. XVI. & XVII.)

## §. I.

**Q**uem interpretationis vocabulum admittit, varius atque ambiguus sensus intricatam reddit ac difficilem de interpretatione doctrinam: quumque istas inter significationes quædam sit similitudo, plurimi tam philosophi, quam Juris consulti huic inhærere confusio, incertaque ac vaga interpretationis idea contenti esse, quam ambigua primum videre, deinde distinguere præoptarunt. Quapropter nos vehementissime veremur, ne lector, tot significationes interpretationis variasque divisiones in hoc schediasmate conspiciens, deproperato nos condemnet suffragio, qui spondemus atque in nos recipimus, rem ipsam bonæque meditationis regulas, istas nobis distinctiones, invitis; sed extorsisse. Ipsa vero argumenti tractatio fidem nostram æquos ac intelligentes apud arbitros liberabit.

## §. II.

Ad duo summa capita omnes interpretationis significationes referendæ sunt. Interdum enim I) significat idem, quod *adhibitio signorum externorum (potissimum verborum) quibus cogitationes nostras cum aliis hominibus communicamus.*

## §. III.

Et quidem vel ipsimet ejusmodi signis utimur, quo sensu oculi nostri & sermo mentis nostræ interpretes recte dicuntur: vel aliis in mandatis damus, nostro ut nomine cum alio negotium quoddam tractent, nostræque voluntatis decreta & placita, intellectusque cogitationes cum eo communicent. Pertinet huc locus apud LIVIUM *Lib. XXI. cap. 12.* Quum enim Hannibal, expugnato fere Sagunto, tristes pacis condiciones ferret, quas absque mortis periculo ad Saguntinos perferre se posse negaverat Alcon; *se pacis ejus interpretem fore*, Alorcus promisit, quibus verbis nihil aliud sibi voluit, quam se *propositurum* obsessis mentem Hannibalis. Docet etiam progressus historiæ, ipsum solummodo *nuncii* officio functum, quæ enim

nim prætera adjecit, eo saltim fecerunt, ut persuaderet Saguntinis, gravia hæc & acerba, postulante ipsorum fortuna, accipienda esse. Hoc igitur significato omnes mandatarii, procuratores, legati, nuncii, interpretes vocari possunt. Quamvis autem & CICERO, & alii auctores classici hunc in modum interpretationis vocabulo passim utantur, frequentius tamen alio sensu adhibetur, inprimis a Theologis, Jctis & Philosophis.

## §. IV.

Utu enim invaluit, interpretationem vocari II) quæ versatur circa signa externa, quibus quis mentem suam jam declaravit, quod etiam observat IOH. A FELDE in *Tract. de Scientiæ interpretandi Part. I. Lib. I. Cap. i. §. 4.* ubi dicit; interpretari esse, quod circa orationem incognitum, aut non satis cognitum est, cognitum facere. Sive clarius: *Est declaratio, verbis facta, se congruas ideas cogitare, circa edita jam alio tempore signa externa (potissimum verba) idearum indicia.* Facimus hic signorum externorum mentionem: Sed cum modus mentem suam expresse & diserte declarandi in verbis & sermone reperitur, quem etiam interpres inprimis & considerat, & suis verbis exponit, inde ad *verba* potissimum in tractatione nostra respiciemus, de aliis signis pauca satim ἐν τῷ ἑξῆς inspersuri.

## §. V.

Omnis igitur interpres verba explicanda ante omnia ipsemet intelligat, necesse est; (§.IV.) liquet etiam, illum demum intelligere, qui *congruas* circa verba prolata *ideas* cogitat. Ideæ autem, quæ verbis indicantur, duplicis generis esse possunt, (a) vel *principales*, vel *accessoria*, harum interpretationem liceat nobis vocare *criticam*: quæ est *declaratio idearum, per ingeniosam comparisonem cum ideis, de quibus principaliter auctori agendum erat, ab ipso junctarum, ut emphasis sermonis inde adpareat.* (b)

(a) verba quidem ipsa, in se spectata, adhuc præterea ideam immediate sensibilem *soni*, imo si scriptis exprimantur, ideas *literarum ductuum* nobis insinuant, hæ autem non sunt hujus loci.

(b) Cave, hanc nobis imputes opinionem, criticorum operam unice circa has ideas accessorias eruendas occupari. Nōmine saltem interpretationis criticæ utimur, partim quia aliud vocabulum deficit, partim quia harum idearum explicatione dimidius fere criticorum labor absolvitur, & is quidem, quem sibi solis vindicant, reliquas enim meditationes atque explicationes cum grammaticis & philosophis habent communes.

## §. VI.

Quæ enim est ingenii humani capacitas atque amplitudo, non ita uni rei adfixum inhæret, ut alias, per convenientiam quandam & tertium comparationis rei, de qua principaliter agendum est, similes, non immisceat atque inspergat, quod tam in singulis phrasibus, quam integro contextu fieri solet. Unico exemplo mentem exponam. PLINIUS SECUNDUS *hamata beneficia* vocat, quæ stilo PLAUTI beneficia *transennæ imposita*, aut *per transennam oblata*, dicuntur. Quorum verborum idea principalis est, beneficia, quæ accipienti plus damni quam lucri adferunt; ideam autem accessoriam hami immiscet Plinius, quia hamo imposita esca cum interitu piscium adpetitur; Plautus ideam adjicit laquei, quo volucres captantur & confringuntur ab aucupibus. Sexcenta possent ejusmodi adferri.

## §. VII.

Neque existimandum est, absque ulla ratione ejusmodi res, quæ primo intuitu extra scopum dicentis positæ videntur, admisceri. In genere enim comparatio talis ingeniosa lectu & auditu jucunda est: quandoque ad sensus reducit atque imaginationi imprimit, quod per se sola intellectus abstractione concipitur, quo spectant exempla §. præced. prolata. Præterea (quod caput rei est) in hoc maxima vis oratoris stilique pathetici sita est, quod ille, prouti in animum induxit, auditorem suum ad amorem, honorem, iram, odium, contemptum, aliosve adfectus stimulare, ideas admisceat rerum jucundarum, ob præstantiam admirandarum, perniciosarum, exorsarum, deestandarum, & quæ ridiculam rem, de qua principali-



cialiter sermo est, reddere possunt, ut tali modo adfectum lectoris atque auditoris in rem ipsam principalem dirigat, de quo artificio (cujus abusum fucum oratorium vocant) fusius in rhetorica, & suo etiam modo in logica agendum est.

§. VIII. In quavis autem lingua certi generis vocabula tum ratione idearum principalium, tum accessoriarum recepta sunt: quamobrem prouti illum nemo intelligeret, qui nova prorsus vocabula, ideas principales indicantia, excogitaret; ita vel mens dicentis non percipitur, vel ubi a civibus suis intelligitur auctor, barbarissimi accusatur, qui ideas accessorias, peculiari idiomate usitatas, alio sermone exprimit, uti ex *epistolis obscurorum virorum* liquet. Sic quamvis Germanice de artificio aut scientiæ alicujus primo inventore recte prædicemus: *er habe zu erst das Eis gebrochen*: lepide tamen quis cum nonneminè diceret: *Grotius primus glaciem fregit in Jure Naturæ*, quum alia potius idea accessoria Latinis frequentetur, scilicet, eum iter stravisse, viam præparasse, præivisse reliquis; item, iter aliis invium primum esse ingressum. (c) Et sane haud exigua pars nitidi stili in eo sita est, quod quis ideas principales e verbis eruere, atque illas accessorias, quas cujusvis linguæ genius fert, admiscere sciat.

(c) Obiter monemus, cognitu facillimum esse, cur Romanis ista idea accessoria glaciæ in mentem venire non potuerit, neque enim ita in Latio flumina glaciæ operiebantur, ut periculo sese exponeret, qui primus post brumale tempus finitum, iter per fluvium rate aut navigio tentaret, quod nisi aliunde notissimum esset, ex illo etiam *ovidii Lib. III. Trist. Eleg. X.* appareret, in exilio suo ita ingeminantis:

*Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, & undas,*

*Frigore concretas, ungula pulsio equi.*

*Perque novos pontes, subier labentibus undis,*

*Ducunt Sarmatica barbara plaustra boves.*

*Vix equidem credar; sed cum sint præmia falsi*

*Nulla, ratam debet testis habere fidem.*

*Vidimus ingentem glaciæ consilere pontum &c.*

Diximus in §. V. interpretationis criticæ scopum esse, ut  
 emphasis verborum inde liqueat. Si igitur ea, quæ §. VIII.  
 dicta sunt, cum his conferantur, facile intellectu est, ad emphasin  
 verborum perspiciendam, linguæ originalis, seu qua auctor ex-  
 plicandus scripsit, notitiam multum facere, quavis enim lingua  
 peculiare ideae accessoriarum sunt usitatae (§. VIII.) Quare falli-  
 tur CELEBERR. WOLFFIUS, in *Log. Cap. XII. §. 2.* quum eos  
 refutat, qui linguæ originalis notitia hunc ipsum in finem utun-  
 tur. Non tamen negamus, requiri ad hoc non superficialiam  
 linguæ notitiam, ut scilicet legere tantum aliquis & lexico uti  
 queat; linguam potius peregrinam vernaculæ instar calleat,  
 necesse est, atque in antiquitatibus probe sit versatus, qui em-  
 phrasas vult eruere. Nec in primitivis, ex quibus alia voca-  
 bula derivata sunt, emphases quæri debent, sæpius enim hæc  
 a voce originaria ita deflectunt, ut idea ista, quam primitiva vox  
 insinuavit, plane deficiat. E. gr. notissimum est, Romanos æ-  
 que ac alios populos, antequam signato numo uterentur, me-  
 tallorum pondus libra explorasse, & hujus ope exercuisse com-  
 mercia; hinc tot locutiones: expendere pecuniam, impen-  
 dere, compensare &c. Sed vehementissime falleretur, qui  
 verba hæc: *mutua debita inter se compensantur*, singularem  
 involvere emphasin dicitaret, hunc enim esse sensum, quod  
 debitum alterius ejusdem sit ponderis, cujus & sit recipro-  
 cum, ita ut ubi singula lancibus imponerentur, a libra suspensis,  
 appareret æquilibrium. Quamvis enim id, si vocis originem  
 spectes, non plane erroneum sit, ex quo tamen numus signatus  
 obtinuit, de originaria ista idea nec principaliter, nec accessorie  
 quisquam cogitat, qui de compensatione debitorum verba facit.

## §. X.

Hactenus de interpretatione idearum *accessoriarum*: di-  
 spiciamus jam de explicatione *idearum principalium* (Vid. §. V.)  
 Vocantur autem nobis *ideæ principales, subjecta & prædicata, de*  
*quibus*

quibus potissimum cogitandum esse, scopus dicentis & sermonis contextus indicat. (exemplum occurrit §. VI.) Qui vero ideas has exponit, vel communem & receptum verborum significatam sequitur, & de eo laborat, ut *idea* suæ cum *genuina rerum indole* congruant; vel in specie ad *mentem auctoris* respicit, liceat nobis illam vocare interpretationem κατ' ἀλεθεϊαν; hanc κατ' ἀρεστον. Quid posteriori casu observandum sit, suo loco (§. XVIII.) dicemus; ante omnia de priori casu sumus solliciti. (d)

(d) Ingenuè fateatur, latere æquivocationem in voce: *idea congrua*, ut adeo divisio hæc, qua dicimus, ideas aut congruere cum veritate rei, aut cum mente auctoris, non tam sit divisio generis in species, sed æquivoci in æquivocata: Hinc etiam fieri potest, ut cum *utraque* congruant *idea* interpretis.

## §. XI.

Communis igitur tum singulorum verborum, tum integralium propositionum significatio aut insinuat nobis *ideas immediate sensibiles*, aut *ideas abstractas*, quarum exempla sunt pactum, error, metus, dolus, delictum &c. ex quibus etiam formatæ propositiones occurrunt, v. gr. pactum, circa rem illicitam inutum, non valet; damnum, per dolum vel culpam datum, est facienda &c. Iam e præceptis logicis supponimus, quod omnis *propositio exhibeat relationem seu respectum inter plures (minimum duas) ideas (e)* quæ vel invicem *nexæ* considerantur, hinc oriuntur *propositiones affirmativæ*; vel sibi invicem *repugnantes*, & quarum altera alteram *excludit*, hinc fiunt *propositiones negativæ*. Ad intelligendas autem propositiones, quæ de rebus immediate sensibilibus agunt, sufficit, si claras subjectorum & prædicatorum habeamus ideas, non nisi ope ipsorum sensuum acquirendas, ita enim & nexum & contradictionem inter subjecta & prædicata ope experientiae cognoscimus. Sic si claram habeas ideam glaciei, frigoris & caloris, facile tibi constat, glaciem & frigus esse ideas connexas, & affirmativam formabis propositionem: omnis glacies est frigida; eodemque modo perspicis contradictionem calorem inter & glaciem

ciem, hinc dicis: nulla glacies est calida. At in propositionibus, quæ de ideis abstractis agunt, si saltim ope sensuum subjecta & prædicata intelligis, *confusas* eorum mente tenes *ideas*, & nunquam de *nexu* vel *contradictione* subjecta inter & prædicata tibi constabit. Sic, si quid *pactum* sit, uno alterove exemplo (quod sensibus edoctus es) possis declarare, similemque habeas notitiam *facti illiciti*, non introspicias contradictionem inter istas ideas, & de hujus propositionis veritate: *nullum pactum potest circa factum illicitum iniri*, non *sufficienter* eris persuasus.

(e) Solicite & duabus vicibus hoc inculcat CELEB. WOLFIIUS in *Logica sua Cap. III. §. 2.* Derwegen wenn wir urtheilen, verknüpfen wir wenigstens zwey Begriffe mit einander, oder trennen sie von einander. Ich sage, wenigstens zwey. Eodem autem Capite §. 13. sibi contradicit, quando putat propositiones identicas, sive eodem subjecto & prædicato constantes, esse vera ac genuina axiomata: *Eigentlich sind die leeren Sätze die rechten Grund-Sätze*, darinnen das subjectum und prædicatum einerley ist, als, alle Thiere sind Thiere. Nec ipsum juvat, quod hæc demum nequeant demonstrari: wenn man einen Grund-Satz nennet, der sich nicht weiter erweisen lässet. Probe enim notandum, talem repetitionem ejusdem verbi ideo non posse demonstrari, quia tale propositionis simulacrum sensu caret, quod vero sensu destituitur, nec potest demonstrari, nec refutari, uti ex dicendis §. 14. & 16. liquebit. Sic nec hæc propositio (si hoc nomine eam appellare fas est) *iltri & catætri differunt ut genus & species* demonstrari aut refutari potest: quis vero adseveraret esse hoc genuinum & elegans axioma?

## §. XII.

Solis igitur verbis effici non potest, ut clare intelligantur propositiones, quæ de ideis immediate sensibilibus formate sunt, quum ipsa earum perceptio requiratur (§. XI.) At si ideas jam mente teneas, eamque tibi in memoriam revocare ob vocabula incognita non possis, poterunt illa aliis vocibus exprimi, quod non solum contingit, si ejusdem significatus verba alio idiomate proferantur, quod *versionem* vocat: Sed & aliis ejusdem linguæ verbis idem significantibus h. e. synonymis in locum

cum

cum aliorum substitutis, quam dicimus *paraphrasin*. Nam alia vocabula ejusdem linguæ aliis magis apta sunt ad producendas in mente audientis vel legentis congruas ideas. Ad hoc autem, quod diximus, sufficit notitia *grammatices*. Datur igitur *interpretatio grammatica*, eaque vel *versio* est, vel *paraphrasis*. Hoc sensu *interpreter* dicitur, qui librum aliquem ex alia lingua in aliam transfert, ut & qui inter illos, quorum alter alterius linguam non callet, nuncii officio fungitur, utriusque linguæ gnarus.

## §. XIII.

Eadem interpretatio grammatica, tam versio, quam paraphrasis usum aliquem præbet in ideis abstractis explicandis, sed ad id tantummodo prodest, ut *confuse* intelligantur propositiones, cujus ratio e dictis §. XI. facile perspicitur. Sic, si adductam ibi propositionem hac paraphrasi exponerem: *conventiones hominum, quibus ea, quæ leges probibuerunt, in actum se deducturos promittunt, carent obligatione*, imo licet exemplum adderem: *fac, aliquem a iudice petere, ut is in fontem in vincula conjiciat, & promittere se ipsum indemnem servaturum, nec iudex promisso suo obstringetur, nec adversus alterum ad damnum averendum agere poterit*; adhuc tamen propositio prolata obscura manet, nec de veritate exempli, modo adducti, quod instar conclusionis se habet ad positum principium, sufficienter & distincte constabit.

## §. XIV.

Ut igitur propositiones, quæ de abstractis ideis agunt, clare & distincte κατ' ἀνάγκην intelligantur, opus est iisdem meditationis regulis, secundum quas ipsæ illæ propositiones debuisent ab initio formari atque excogitari, & hinc (si in *materia demonstrativa* versæmur) requiritur *demonstratio*, quæ, factò initio a postulatis & definitionibus, per conclusiones eo usque continuanda est, donec in propositionibus affirmativis *nexus* inter subjecta & prædicata; in negativis autem *contradictio* inter utraque evidenter appareat (§. XI.) quod uno alterove exemplo illustrabo. Fac, explicandam mihi esse hanc propositionem:

D

Do-

*Dominus obligatur seruo ad præbenda alimenta, & sequens erit interpretatio:* Servitus plena est dominium homini in hominem quæsitum. Sed quum dominium tribuat jus, sibi soli acquirendi omnes utilitates, quas natura rei patitur, sequitur, domino obvenire omnia emolumenta, per seruum honeste proveniente, hinc quicquid vel operis suis, vel benignitate fortunæ lucratur seruus, id omne domini est; quare nec proprii aliquid retinet seruus, adeoque deficient ei res, ex quibus alatur: cumque hic defectus ex ipso dominio & jure domini fluat, & vero natura hominis non patiat, ut eum, quamdiu salvi esse possumus, infelicem reddamus aut interimamus (Disp. de Princ. Jur. Nat. §. XV.) sequitur, ut dominus ex bonis suis defectum hunc supplere debeat: Ergo obstringitur seruo ad præbenda alimenta & necessaria vitæ subsidia. Eodem modo si explicatio facienda esset propositionis negativæ §. XIII. adductæ, illa hunc sese in modum haberet: Pactum est plurium in idem placitum consensus, signis externis invicem declaratus, atque animo, jus sibi ab altero acquirendi, acceptatus, ut media felicitatis ab hominibus in homines deriventur. Jus autem est facultas legibus concessa, faciendi illa, quæ ad felicitatem propriam promovendam libere suscipiuntur. (cit. Disp. §. V.) Factum illicitum est, quod leges prohibuerunt. Ergo ad factum illicitum perpetrandum, aut ab altero postulandum, nullum cuiquam potest competere jus, adeoque nec tale jus acquiri potest ex pacto: hinc pactum, de facto illicito perpetrando initum, non potest concipi, Ergo nullum est, consequenter nec potest intelligi obligatio, ex pacto oriunda, ad factum illicitum peragendum. (f)

(f) Ejusmodi demonstratarum interpretationum magnum apparatus exhibuit nobis CELEB. DN. D. MÜLLER in adnotationibus suis ad *Graciani oraculum prudentiæ*, ad plausu isto, quem nactæ sunt, eruditorum dignissimis. De hac interpretatione quædam præcepit CELEB. DN. WOLFFIUS in *Log. cap. XII.* qui tamen in eo vehementer deceptus est, quod putavit, ista interpretatione omnem interpretis operam absolvi.

§. XV. Ad tantam quidem evidentiam pervenire non datur, si auctor explicandus materiam probabilem proponit: attamen & eo casu secundum regulas probabilitatis logicas ipsius hypotheses sunt explicandæ. Sic, si proferat auctor aliquis historiam hypothesin, atque ad eam probandam testimonia scriptorum adducat, ostendendum est, ipsum non in deteriorem aut perversum sensum detorquere dicta testium suorum, ad quos provocat, ipsos testes esse scriptores æquales, rerum gestarum gnaros, non conjecturas suas, sed quod viderunt, quod audiverunt, memoriæ prodentes, a spe emolumenti alienos, nec ob timorem veritatem dissimilantes &c.

§. XVI. Quisquis hæc probe rimatur, vel me non monente perspiciet, omnem explicationem demonstrativam, si auctor explicandus veritatem rei adsecutus est, ipsius confirmare doctrinam & sententiam (§. XIV.) at si a veritatis tramite aberravit, eadem illa interpretatione ipsum non posse non refutari. Fieri enim non potest, ut ideæ invicem repugnantes affirmentur, vel connexæ inter se negentur (§. XI.) Ergo si auctor explicandus per errorem, qui variis ex causis oriri potest,

*pugnancia secum*

*frontibus adversis componit,*

necessario evenit, ut interpres, qui claras & distinctas ideas in animis auditorum & lectorum suorum producere allaborat, demonstrat, ideas esse repugnantes, quas auctor connexas putavit; vel connexas, quas is sibi invicem contradicentes credidit. (g)

(g) Lector huic, aliud quasi agendo, edoctus est, quid sit dissentire & disputare, quod sane paucissimi intelligunt, vel eorum, qui de disputationibus habendis data opera scripserunt. Scilicet contradicere est, positum iisdem subjectorum & prædicatorum ideis, respectum & relationem earum inter se alium reputare, quam quidem alter existimavit.

§. XVII.

Sic quoque si interpretandus est auctor, hypothesin probabi-

babilem proponens, quam is male probavit, vel eo ipso, dum vim argumentorum ejus examinamus, reperimus, quod ab ipso ad ducta non evincant id, quod evincendum erat. E.gr. quando Juris publici scriptor, propositionem aliquam historicam, e Carolingicorum vitis petitam, e Lehmanni Chronico Spirensi evincere allaborat, & Lehmannum evolventes, deprehendamus, scriptorem temporum illorum æqualem ab ipso non adduci, fidem rei gestæ vacillare intelligimus. Ex dictis itaque patet, omnem interpretationem κατ' ἀλεθείαν, tam demonstrativam, quam probabilem, vel redire ad *probationem* atque evictionem ad fertorum auctoris, quem explicamus; vel ad *refutationem*. (b)

(b) Hinc apparet, eum, qui docentis spartam in academia tuitus, librum aliquem auditoribus suis explicat, si satisfacere officio suo velit, non posse non ab auctore recedere, qui erroneas proponit doctrinas. Auditorum enim non interest, quid Aristoteles, quid Plato *senserint*, scire; sed quid sentire *debuissent*. Omnes secundum rei veritatem doctrinis intelligendis operam navant. Ergo oportet esse docentem

*Nullius additum jurare in verba magistri.*

Calumniis autem eorum, qui ipsi pruritus novandi, dissentendi, refutandi imputant, opponit illud: recte faciendo & sentiendo neminem timeas: denique illos, qui censent, contrariari sibi invicem explanationem & refutationem, miseratione dignos censet.

§. XVIII. De interpretatione, quæ secundum rei veritatem, seu κατ' ἀλεθείαν componitur, hæctenus egimus, superest ut de illa, quæ κατ' ἀνθεροπον, seu secundum mentem ejus, qui verba explicanda protulit, sese habet, dispiciamus (nexum repete e §. X.) Exponenda per eam esse verba secundum cogitationes & ideas ejus, qui ista verba protulit, cit. §. X. jam indicavimus. (i) At vero quisque cogitationes & ideas suas *interna sensione immediata* percipit, seu sibi earum est conscius; hinc expositio propriorum verborum ad *immediatam sensionem* & memoriam redit, & hæctenus est improprie dicta interpretatio: (§. II.) sed si alter alterius mentem ex ipsius verbis eruere laborat, majori opus est artificio: Præsupponimus enim e logica (k) propositiones *per se* immediate sensibiles, quas autem nos immediata sensione adsequi non possumus, secundum probabilitatis regulas inveniendas esse, cumque hæc interpretatio circa ejusmodi propositiones excogitandas occupata sit, vocabimus eam jure meritoque interpretationem *probabilem*. Postulat autem probabilitas, ut e pluribus sensionibus



bus, conjunctim spectatis, & cum re ista, de qua cogitamus, connexis, aliqua assumatur hypothesis, quam quidem verosimilem esse existimemus, ita tamen ut contraria aut diversa hypothesis non penitus & absolute falsa, seu (ut philosophi loqui amant) impossibilis reputetur.

(i) Uti summopere fallitur Celeb. Wolffius, qui solam demonstrationem interpretationis nomine dignam censer, uti jam observavimus supra §. XIV. f. Ita & illi aliquid humani passii sunt, qui omnem interpretationem unice secundum probabilitatis regulas suscipiendam autumant.

(k) Adde, si placet, progr. nostr. cui titulus: *Ungrund der Einwürffe, Die wider den Tractat de Ideis in den Leipziger Deutschen Actis Erudit. vorgetragen worden.* §. 28. ubi definitionem probabilitatis exhibemus, exemplo illustratam.

§. XIX. Sensiones istas connexas (§. præced.) nobis suppeditant integer contextus; verba antecedentia & consequentia; principia, quibus auctor, cujus verba explicamus, imbutus fuit; quæ idem alibi dixit; occasio, scopus dicendi scribendive; locus, ubi verba protulit; nec minus affectus voluntatis, quos de eo novimus, veluti ira, vindicta, metus, gloriæ cupido, emolumenti spes, reliqua.

§. XX. Est itaque interpretatio *κατ' ἀνθρώπων*, sive probabilis nihil aliud, quam hypothesis (§. XVIII.) ex integro contextu & sensionibus, quæ de intellectu & voluntate auctoris nobis notæ sunt (§. XIX.) elicita, de eo, quidnam auctor aliquis eo tempore in mente habuerit & cogitaverit, cum verba ista, de quorum sensu meditamur, proferret. (l)

(l) Si quis adhuc dubitat, distinctionem, §. X. adductam, veritate niti, is perpendat saltim, in interpretatione probabili nos tantum sollicitos esse de re, seu *questione facti & voluntatis*, quidnam nempe *cogitaverit*, aut *voluerit* alter? in demonstrativa autem, de *questione veritatis*: quo scilicet sensu verba auctoris alicujus accipi *debeant* a nobis, ne a veritatis tramite aberremus? Ipsius interpretationis probabilis regulas solidissime post CEL. RÜDIGERUM in *sensu veri & falsi Lib. III. Cap. IV.* tradidit antea laudatus D. MÜLLER in *Logica Cap. XIX. §. 16.*

§. XXI. Præterea adhuc alia occurrit interpretatio, qua signa quædam externa, potissimum verba, sensu, ab isto argumento, quod interpretatio verborum grammatica, & communis signorum interpretatio suggerit, longe diversissimo, accipiuntur, ita ut alia subjecta & prædicata in locum eorum, quæ verborum aliorumve signorum communis & recepta significatio sistit, substituuntur, & quidem ob quasdam similitudines, quæ inter res vulgari significatione denotatas, & quas interpres ex ingenio suo depro-

mit, dependuntur. Vulgo vocari solet *interpretatio mystica*. Hoc sensu CICERO *Lib. 2. de Divinat. cap. 28.* conjectoris & interpretis portentorum mentionem facit, & QUINTILIANVS *Lib. 3. Cap. 6.* Somniorum atque omnium interpretes conjectores vocat.

§. XXII. Nihil itaque interpretatio mystica meris comparationibus (§. XXI) secl quum nulla res, etiam diversissimorum generum, usque adeo inter se distent, ut in uno alterove comparationis tertio conferri nequeant, hinc facile liquet, quod interpretatio hæc *per se*, & *quæ a talis*, nullius momenti sit, & quod eidem nimium indulgens, quibusvis agræ mentis delirio sensum aliquem egregium ad fingere pro lubitu suo possit, ob quam causam quoque Cicero *cit. l.* de portentorum interpretibus male sentit. Non igitur mirandum, quod *Natalis Comes* & cœteri *rerum mythologicarum* scriptores, Ovidii aliorumque poetarum fabulas modo de doctrinis ethicis, modo physicis, jam de theologia gentilium, mox de regulis politicis explicent, & quidni etiam de chymia & alchymia accipi possent? Quam erroneæ autem sint hæc explanationes, ex iis intelligi possunt, quæ ingeniosissime de materia prima, quam Chaos vocant, speciminis causa differit BAYLIUS, Vir magnus, in *Lexico suo hist. crit.* Voce *Ovidius lit. G.* Ex dictis etiam apparet, quam infirmo nitatur talo rôta quanta Cabala symbolica, de qua *Vid. B. DN. BVDDAËVS in Introduct. ad philosoph. Ebreorum.*

§. XXIII. Licet autem *per se* mystica interpretatio nullius momenti sit (§. XXII) fieri tamen potest *per accidens*, ut illa ad sensum mereatur, si scilicet cum interpretatione probabilis καὶ ἀπογοπον concurrat. Tunc autem ante omnia probabiliter constare debet, auctorem voluisse mentem suam per hieroglyphica & symbolica declarare; (m) deinde necesse est, interpretationem per *varias pluresque* comparationes cum integro contextu a capite ad calcem usque convenire: ita enim demum probabilitas quædam inde oritur, secundum deducta §. XVIII. fqq. Ergo non fallimur, quando interpretationem mysticam probabiliter accensimus, hanc subdividentes in eam, quæ receptum verborum sensum servat, & mysticam.

(m) Sic de *Pythagora* aliisque sapientibus constat, ipsos doctrinas suas philosophicas per symbola proposuisse. Quid de methodo hac sentiendum sit, in Logica exponendum.

§. XXIV. Nollem tamen interpretationi huic mysticæ accensere doctrinas politicas & morales, quæ ex *Æsopi*, *Phædri*, similium fabulis, de brutis animalibus confictis, ad ductum ipsorum auctorum eruuntur. Scilicet quum ipsi fere subijcere soleant istas propositiones morales, explicatio hæc tenus est grammatica (§. XI. & XII.). Fabulæ ipsæ sunt loco probationis; proba-

probatio autem fit per inductionem exemplorum, e sensibus atque experientia petitorum: saltem loco plurium exemplorum unicum adducitur, quia in reliquis eadem est ratio, Ergo ut e fabula consequatur doctrina moralis, adhibenda est interpretatio demonstrativa (§. XIV. & XV.) (n)

(n) Unico exemplo rem declarabo. Fabula, quam *Phædrus Lib. IV. fab. 15.* refert, ita est explicanda: Capellæ æque barbibus sunt ornatae ac hirci, neque tamen ideo sunt sexus masculini. Huic exemplo poteris jungere mille alia, atque eadem ubivis erit ratio. Ergo differunt apparere & esse: nec vera nostra merita, quibus aliis sumus præstantiores, ideo minuuntur, quia alii vanam speciem (aut *inane nomen*) similium meritorum præ se ferunt.

§. XXV. E variis, quas hæcenus recensuimus, interpretationum speciebus jam liquet, cur factum sit, ut qui de interpretatione commentarios scripserunt, vasta erudito orbi exhibuerint volumina, veluti IO. DE RAAET, cujus *liber de interpretatione* Amstelodami 1692. 4to prodiit, & IOH. VON SELDER, qui *Tract. de scientia interpretandi cum in genere omnes alias orationes, tum in specie leges Romanas* Helmstadii 1689. itidem in 4to imprimendum curavit: quorum ille in primis in tradendis principiis de sermone humano, quo mentem nostram exprimimus; (quam interpretationem improprie dictam vocavimus supra §. II. & III.) hic in expositione regularum grammaticæ & rhetoricæ admodum prolixus est. Quisquis vero auctores hoscæ, aut saltem alterutrum evolverit, is demum de qualicumque hac opella nostra commodum feret iudicium: utrum scilicet actum egerimus, quæ tanta brevitate omnis generis interpretationes sine confusione exhibentes, omnes, nisi fallimur, divisiones ejus exhaustimus.


§. XXVI. Sed quam interpretatio demonstrativa e genuinis principiis nexum doceat in affirmativis, & contradictionem in negativis propositionibus (§. XIV.) principia autem eruditarum veritatum e singulis scientiis, atque in primis e definitionibus subjectorum & prædicatorum sint petenda (*per principium logicum*) hinc sole meridiano clarius apparet, interpretationis demonstrativæ regulas per singulas scientias diffusas esse, adeoque non posse completam regulisque specialibus instructam de interpretatione doctrinam separatim exhiberi (o). Hanc procul dubio difficultatem animadvertit in progressu operis decus illud Germaniæ, cum viveret, ac polyhistor HERRMANNUS CONRINGIUS, eamque ob causam librum de interpretatione promittens, fidem suam non liberavit. Sic, ut de jurisprudentia tantum dicam, ex ipsa definitione legis ejusque divisionibus variæ legem civilem interpretandi regulæ sunt deducendæ, progressu deinde facto ad speciales materias, quibus sermo humanus intervenit, natura negotii curatius est investiganda, ut regulæ interpretationis patescant. Sic in *Disput.*  
nostra

nostra de *Concursu duarum causar. lucr. in eand. rem & person.* duas de interpretatione legatorum tradidimus regulas, ex intima natura legati ejusque definitione petitas, alteram: in omni legato talem esse faciendam interpretationem, ut e testatoris bonis aliquid lucri obveniat legatario, nisi de contraria mente testatoris luculenter constet; alteram: in dubio talem interpretationem adhibendam esse, ut quam minimum damnum sentiat hæres, sive (quod idem est) in dubio parcendum esse hæredi.

(o) Non videtur itaque probandum TITII consilium, quod in *observat. 416. ad Pufendorff. de Offic. hom. & civis*, ut & in *Arte cogitandi Cap. 19. §. 126.* ineundum censuit, ut tractatio de interpretatione inseratur doctrinæ alicui præliminari, philosophicis disciplinis præmittendæ.

§. XXVII. Imo hoc eo usque extendimus, ut sine hæsitatione adfirmemus, ab ipsa negotii natura suppeditari quoque methodum interpretandi, utrum scilicet interpretationi κατ' ἀποστολῆν; an κατ' ἀλλοίωσιν sit locus. Sic quamvis pacta ex voluntate & consensu partium originem suam capiant, ex quo tamen res non amplius est integra, ad receptam sermonis significationem, licet alia mens fuerit paciscentis, respiciendum, adeoque interpretationi grammaticæ locum esse, e natura pacti & sermonis humani potest demonstrari (p) Spectat huc ILL. DN. BÖHMERI *Disput. de interpretatione contra eum faciendâ, qui clarius loqui debuisset.* Denique mitius de iis sentiendum censemus, quam recentiores nonnulli logici sentiunt, qui hermeneuticas sacras conscribunt, quum omnino natura veritatum a DEO revelatarum & mysteriorum, quæ in sacra pagina occurrunt, speciales interpretandi regulas suppeditent.

(p) In alia omnia abiit CLARISS. WALTERUS in schediasmate cui titulus: *Eleatishe Gräber* ubi existimat, regulæ huic: quisque verborum inorum optimus est interpres, in pactis quidem & negotiis jurisprudentiæ; nequaquam vero in explicandis scriptis eruditæ ac theoreticis locum esse. Certe ex omni pacto perfecto alteri jus acquiritur, quod pro lubitu alterius interverti, aut minui non debet: Sed in scriptis eruditæ mentem suam quisque theoretice exponit, quam qui improbat, aliam sequi sententiam non prohibetur. Præterea dudum eruditæ proprium fuit, componere definitiones quasdam nominales atque earum ope vocabulis peculiarem ac a consuetudine loquendi recedentem imponere significationem (confer, si placet, *Tract. nostr. de Ideis Cap. II. §. 23. seqq.*) Imo omnis vera ac honesta sentiendi libertas tollitur, si verba alterius pro lubitu explicari inimicis licet, qui profecto viris vere eruditæ ut corpori umbra, ut virtuti invidia, deesse non possunt.



DE  
METHODO DOCENDI  
ANTIQUITATES  
JURIS ROMANI.

---

§. I.



Antiquitatum Juris Rom. cognitio est institutorum priscæ Romanæ reipublicæ, in legibus & moribus, quibus cives Romani vivebantur, locum habentium, solida ac judiciofa notitia, ut jurisprudentiæ studium inde incrementa capiat.

§. II.

Id quippe in confesso est penes omnes, qui in perscrutandis antiquitatum Juris Romani fontibus rivulisque operam navarunt, jurisprudentiæ illas haud exiguam scenerari lucem, & nisi vehementer fallor, illi etiam qui earum studio sese addicunt, eundem illum ab antiquitatibus expectant fructum.

§. III.

Quum vero jurisprudentia sit habitus intellectus, leges probe cognitæ ac perspectas ad negotia hominum in republica obvientia applicandi, ad promovendam in republica salutem, quum porro leges cognitæ habere & perspectas, non sit verba legum memoriæ mandasse sibi, sed contenta legum ita scivisse, ut in singulis legum propositionibus nexum inter subjecta & prædicata, & quomodo leges illæ inveniri debuerint, quibusque nitantur juris naturæ & prudentiæ legislatoriæ

E

prin-

principiis intelligamus (a); sequitur antiquitatum juris studium non ita instituendum esse, ut solummodo leges, ritus, consuetudines antiquas, deinde nomina propria legislatorum, & chronologiam legum discere, atque in numerato habere nobis sufficiat; sed illa ad sanæ rationis dictamina examinanda, ex his autem progressum legum, & quomodo novioribus legibus defectus antiquarum supplere prudentia suaserit, cognoscendum esse, unde antiquitatum cognitionem *solidam* ac *judiciosam* notitiam diximus *§. 1.*

(a) L. 17. D. de LL.

§. IV.

Eo usque furoris enim nemo adhuc (per DEI gratiam!) processit, ut (quod rudi adhuc ætati ægre persuadebat Numa Pompilius) ex inspiratione divina leges Romanas originem repetere suam crederet, quare in humana ratione fundamentum habeant necesse est, qua vel *bene* vel *male* legislatores usi sunt; unde & consequitur, mutationem legum per noviores, & quod magna institutorum Romanorum pars in Germania exulet, non forte fortuna contigisse, sed iterum sana niti ratione. Frustra igitur asyllum ignorantiae quaeritur in Juliani ac Neratii effatis: *non omnium quæ a majoribus constituta sunt ratio reddi potest; & ideo rationes eorum quæ constituuntur inquiri non oportet: alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subvertuntur.* (b) Mens enim Juliani est, quod in negotiis mere arbitrariis sola legislatoris voluntas pro ratione sufficiat, & recte adjicitur ex *Neratio*, si forte in ejusmodi materiis legislator rationes quasdam moventes minusque stringentes adduxerit, inde cavillatorias explicationes & restrictiones menti legislatoris contrarias minime desumendas esse. (c)

(b) L. 20. L. 21. D. de LL.

(c) Vulgo ejusmodi rationes moventes *motiven* vocamus, quæ nihil aliud sunt, quam *causa quaedam intellectum humanum in univ-*  
sum

*sum non convincentes, in negotiis indifferentibus tamen voluntatem humanam ad agendum vel omittendum determinantes.* In communibus logicis, quæ quidem nobis notæ sunt, altum hac de re, scitu utilissima & maxime necessaria, est silentium, quem defectum & in lectionibus logicis supplere solemus, & in logica nostra, cuius editionem meditatur, materiam hanc ex instituto pertractabimus. Juvat saltem ea quæ diximus, unico exemplo evidentiora reddere. Imperator, in successione descendentium agnatos & cognatos eodem jure ad hæreditatem admittens, hanc reddit rationem: *neque enim masculus ipse in se, neque femina solum ad natiuitatis propagationem sufficiens est; sed sicut utrumque eorum coaptavit Deus ad generationis opus, ita etiam nos eandem urique servamus equalitatem.* Jam si nepos ex filia ad generandum impotens concurreret cum nepote ex filio ad successionem avi, & illum excludere quisquam vellet, *quia cum Deus ad generationis opus non coaptaverit, foret hæc absurda ratio a Justiniano adductæ explicatio, atque id ipsum est quod improbat Neratius in cit. loc. 21.* Aliud exemplum vide in *Disput. sub præsidio nostro habita de fictionibus juris §. XXI. in fine.*

§. V.

Ergo ita instituendum est antiquitatum juris Rom. studium, ut evidenter appareat *cur* aliquid olim obtinuerit, *quam* vero ex *causa* factum sit, ut desuerudine postmodum obumbraretur, denique *cur* apud nos recipi non potuerit. Quando enim de antiquis Romanorum institutis loquimur, vel eas antiquas vocamus, relatione facta ad Jus Justinianeum *novius*, vel ipsum Jus quod Justiniani tempore viguit antiquum appellamus, comparando illud ad mores patrios *hodieque* obtinentes. Id ipsum igitur est, quod uti in tota jurisprudentia propositum mihi semper habeo, ita etiam in scholis antiquitatum Juris Romani, hac hieme aperiendis, constanter observaturus sum, methodumque meam qualicumque hac scripione pertransnam, quod ajunt, conspiciendam dabo.

## §. VI.

Nimirum versatur antiquitatum Juris Rom. studium circa leges præcæ & publicæ (§ I.) & hinc vel circa *materiam*, vel *formam* legum occupatur.

## §. VII.

Ad *formam* legum referimus modum condendi leges, presse apud Romanos dictas, plebiscita, senatusconsulta, origines edictorum prætoriorum æque ac ædilitiorum, denique rescriptorum, decretorum edictorumque ab Imperatoribus profectorum.

## §. VIII.

Cumque non legibus tantum, verum & *moribus* vixerit respublica Romana (§ I.) horum origo maximam partem a disputationibus fori, responsis & commentariis prudentum repetenda est. Postremo & chronologiam legum ad *formam* earum recte retuleris.

## §. IX.

Atque illa quidem legum *forma*, legislativa potestate aliis atque aliis subinde demandata, vicissitudinibus obnoxia fuit, dum status publicus vel consentiente populo *palam*, vel *clanculum* per *astum dominationis* (cui etiam ipsa JCtorum responsa magnam auctoritatis suæ partem debent) mutationes passus est: quare isthæc omnia ex principiis juris naturæ de formis rerum publicarum tum *regularibus* tum *irregularibus* optime reperuntur, atque applicatio *juris publici universalis* & *politice architectonicæ* ad statum rei Romanæ non sine fructu docetur. Quædam etiam in forma ferendarum legum usitata, postquam superstitionis simplicitati, ex cultis studiis plebs nuncium remiserat, sensim eviluerit, quo auctoritatem *augurum*, publicationem legis novæ olim dissuadentium, recte retuleris. Qualem denique legum chronologia usum præstet, &



& quid inde judicioſæ legum cognitionis ſit derivandum, ex  
is quæ ſ. 3. in fine diximus, jam intelligitur.

## §. X.

Longe clariorem autem jurisprudentiæ facem præferre  
potest judicioſa cognitio *materiæ* legum, novioribus legibus  
abrogatarum, aut apud nos uſu deſtitutarum. Quum enim  
hæc mutatio in ſana ratione fundamentum habeat (*per ſ. 4.*)  
neceſſe eſt ut vel ideo acciderit, quod 1) ipſo ſtatu publico  
mutato, negotia etiam & actus privatorum per confequen-  
tiam variaverint, vel 2) arbitraria quædam reipublicæ anti-  
quæ inſtituta evanuerint, vel 3) ſuperſtitio gentilis religioni  
chriſtianæ ceſſerit, vel 4) mores antiquorum a moribus no-  
viorum, & ſic quoque mores Romani a noſtris multis para-  
ſangis deſtiterint, vel 5) quia prudentia legiſlatoria, vel 6) ſci-  
entia juris naturæ, vel denique 7) principiis meditando verita-  
tesque inveniendi genuinis deſtitui antiqui legumlatores  
arque interpretes, emendatione opus habuerint. Præter has  
enim cauſas nullæ proſus videntur ingenio humano excogi-  
tari poſſe, quarum ſingulas pauciſſimis exemplis, ſervato hoc  
ipſo ordine, illuſtrabimus.

## §. XI.

Enormis quippe illa patria & dominica poteſtas funda-  
batur in ſtatu Romanæ reipublicæ populari ac democratico,  
in quo aliquod imperium ſummum in ædibus ſuis obrinue-  
rant patresfamilias. Idem ille ſtatus effecit, ut in quiritium  
civiumque nomine haud exigua eſſet dignatio, cumque non  
cuiſvis advenæ via ad comitia & curiam pateret, civium *ordi-  
nes* varie *distinguebantur*, quibus tamen omnibus, *volentibus*  
antea *jubentibusque* *quiritibus*, poſtquam jugum ferre monar-  
chicum reſpublica didiciſſet, ſola eademque cum civibus *lati-  
nis & provincialibus obſequii gloria* relicta eſt.

## §. XII.

## §. XII.

Arbitrarium reipublicæ institutum erat, in comitiis fieri testamenta & adrogationes, quo mutato, multa etiam testamentorum requisita & solemnia evanuerunt, quæ autem re-tenta sunt ut umbra antiqui ritus considerari debent.

## §. XIII.

Jurisprudentia Romanorum de rebus sacris, sanctis, religiosis superstitiosæ ethnicorum de diis doctrinæ maximam partem superstructa fuit, qua per saniora christianæ religionis dogmata non emendata solum, verum & everfa, ipsæ etiam conclusiones partim cessant, partim cessare deberent.

## §. XIV.

Mores Urbis ita depravati erant, ut juvenes lupanaria frequentantes, vagam Venerem honestis conjugis præferrent, fæminæ autem lascivæ & delicatulæ, incommoda puerperii fugientes, pocula sterilitatis haurirent, hinc nobilissimæ quævis familiæ destitutæ erant, quare *Juvenalis Sat. 6.*

*Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto,*

*Tantum artes bujas, tantum medicamina possunt,*

*Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos  
Conducit.*

Inde leges de maritandis ordinibus, hinc tantus adoptio-num usus, hinc pœnæ orbitatis, a quibus merito immunem pronunciat *Ulpianus (d)* quæ monstrum excluderat, inde & præmia eorum qui plures liberos procreaverant. Ist hæc autem omnia a moribus Germanorum hac in parte longe melioribus toto cælo diversa sunt, *sera nimirum erat juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas;* fæminæ autem incommoda puerperii usque adeo non subterfugiebant, ut *sua quemque mater uberibus aleret, nec ancillis ac nutricibus delegaret (e).* Ut adeo frustra sint omnes, qui in determi-nando

nando liberorum ad excusationem a tutela sufficientium numero, nos vel cum Romanis, vel Latinis vel provincialibus civibus comparant.

(d) L. 135. D de R. I.

(e) Tacit. de mor. German. XX 2 4.

§. XV.

Nimiam legandi licentiam frustra reprimere laborarunt tum lex Furia, tum Voconia, utraque enim *prudencia legislatoria* carebat, quare tandem lege Falcidia opus fuit, quæ prudenter invenit legatorum proportionem quibuscunque hæreditatibus, lautis æque ac mediocribus convenientem. Sic quoque SCrum antiquum Trebellianum fiduciarios hæredes fideicommissis nimis gravatos ab omni saltim *onere* hæreditario liberans, frustra eos invitare studuit ad adeundam hæreditatem in favorem fideicommissariorum; Pegasianum quidem in eo propius ad prudentiæ principia accedebat, quod *utilitate* eos ad aditionem pellicebat; at vero multis simul incommodis & periculis hæredes reddidit obnoxios, donec tandem Justinianus de conjungendo utroque SCro cogitaret. Eodem modo omni prudentia carebat consilium Trebatii Augusto datum, ut omnes codicillos actionem in foro efficacem producere constitueret, cum tali modo innumeris fraudibus falsisque fenestra aperiretur, quod iterum optime ac prudenter emendavit Justinianus.

§. XVI.

Juris naturæ dictamina non nobiscum (proprie loquendo) nascuntur, sed sola nobis innata est naturalis dispositio intellectus, qua regulis meditandi & exercitio probe exculta, postquam habitum ratiocinandi nobis acquisivimus, tum demum solo rationis lumine sibi relicto intelligere ac meditatione adsequi possumus officia nostra erga alios homines ad pro-

F

moven.

movendam singulorum ac totius humani generis felicitatem. Quæ cum ita sint, facile est intellectu, cur in multis juris naturæ capitibus a veritate aberraverint antiqui Romanorum legislatores æque ac jureconsulti; veluti quando in decidendis quæstionibus dominii sæpe ad hypothesein Stoicam de spiritu, unum aliquod corpus continente confugerunt, aut in specificatione si species nova ad priorem rudem materiam reduci non possit occupationem aliquam novæ speciei originariam contingere statuerunt. Quin imo quod ex pactis nudis actionem nullam oriri existimarent, quod omnia formulis circumscriberent, quod in stipulatione ad solam interrogationem & congruam responsionem attenderent, neglecto dolo, metu, errore; quod in fidejussionis & correalis obligationis materia solum illud strictum jus in animo haberent, isthæc omnia crassam juris Naturæ ignorantiam produunt, quare & ea partim a Prætoribus, partim ab Imperatoribus magis magisque emendata sunt.

§. XVII.

Ipsa denique meditandi principia logica post Romanorum tempora melius excolta esse, lippus sit qui non videat. Præter Servium Sulpicium (quem ob logicam bene excoltam magnis Cicero (*f*) laudibus effert) paucos novimus in hac arte omnium artium maxima (ut verbis Tullii utar) excelluisse: reliqui fere ab *etymologia* (*g*) imo *etymologiæ* simulacro, *allusione* (*b*) nimirum & definitiones negotiorum civilium depromere, & inde argumenta realia neçtere non dubitarunt, quod quamvis Stoicum erat, lepidissimum tamen & jocularare omnibus, qui solidam rerum scientiam amant, videri debet. Totus fere fictionum juris apparatus, in quibus non quod pueri in faba invenisse se putabant Jcti Romani, ignorantiam logices prodit. Quando omnes hæredi-

reditates assis instar in duodecim uncias dividendas censent, pluribus unciis conjunctis speciale nomen, veluti sextantis, quincuncis &c. tribuentes, non alia ex causa id videntur fecisse, quam quod totum aliquod e duodecim partibus constans, commode possit dividi in dimidiam, tertiam, quartam, sextamque partem, quæ divisio in toto, partibus septem, quindecim &c. constante, non ita procedit. Et certe apud ipsos Romanos nummus qui assis nomine veniebat, in duodecim uncias dividebatur, quæ proportio in pondo etiam locum habebat, hodieque apud nos uncialem nummum in viginti quatuor partes, earumque singulas in duodecim obulos dividimus, quod nummorum genus melius commerciis inservire, quam si uncialis in triginta denarios, singulique denarii in novem obulos dispescuntur, (uti in Prussia fit) notissimum est. Hoc, inquam, in animo procul dubio habuerunt JCrī, eandem hæreditatis divisionem facientes. At vero non observarunt *pondus & nummum* duodecim partibus *ejusdem generis* constare, ac præterea singulos asses tam in pondere quam nummo invicem *æquales* esse, cum e contrario hæreditatem universam res diversissimi generis conficiant, singularumque hæreditatum quantitas summopere variet, ita ut in *universam* definire velle, in *quotnam* partes commode *omnis hæreditas* dividi queat, ridiculum sit. Adhæc in iis rebus quæ *nummo* venduntur, & quarum pondus libra examinamus, alia res alia altero tanto, ter, quaterve carior graviorque re &c. dici, singularumque ad alias proportio facile determinari potest: De hæredibus autem inter quos familia erciscunda est hoc dici nequit: aut enim succeditur ab intestato, aut ex testamento; si illud, e *casu* fortuito pender, *quotnam* eodem jure ad successionem vocentur; si hoc, nullus testator ita gradatim amicos habet, ut proportionem amoris sui libra velut & mensura examinare

minare ac metiri queat: utut enim poëta (i) vetulam quandam noter, Proculejum ex unciola, Gillonem ex deunce hæredes scribentem, dum certum proportionis genus (quod modestia indicare prohibet) in animo habuit; haud difficulter tamen intelligitur, Satyricum id per jocum potius & hyperbolen, quam serio scripsisse. Imo post varias miserisque de dupondio tripondioque hæreditatis scrupulositates difficilesque nugæ, ipsi JCTi Romani fatentur: *Tot esse partes unciasque hæreditatis, quot testator voluit.*

(f) in Bruto cap. 41.

(g) Vide § 5. J. Quib. mod jus patr. pot. solv. pr. J. de Verb. sig. L. 1. §. 1. & 3. D. de Pact.

(h) Vide pr. J. de Testam. ordin.

(i) Juvenal. Satyr. 1.

### §. XVIII.

Videor autem mihi, dum JCTis Romanis legumquelatoribus ignorantiam juris naturæ, prudentiæ legislatoriæ & regularum meditandi imputo, audire murmura, caperatasque prospicere frontes eorum, quibus omne id sapiens, elegans, egregium, quod antiquum est, imo qui triste illud & asperum jus, quod *strictum* in legibus vocatur, *subtile* subinde appellant, quia scilicet ejus rationem & nexum non capiunt. Utrur autem quemvis sensu suo abundare facile largior, nec iis invidio, qui glandibus cum veneranda antiquitate, quam pane cum novatoribus vesci præoptant, ego saltem mihi met ipsi hanc legem dixi, ut vel ab antiquitate, vel novitate nihil; omne ab utilitate & sapientiâ commendatum habeam.



Ka 3328

d  
l-  
e  
i-  
es  
u  
d  
l.  
m  
p  
y  
a-  
&  
as-  
le-  
&  
in-  
pi-  
or,  
te,  
mi-  
are  
ad  
en  
lia  
oft  
dad

ULB Halle 3  
004 995 414  










*Joh. 1738. no. 12.*

DAN. FRIDERICI HOHEISELII  
IVRIS VTRIVSQVE ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS  
QVONDAM IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
CELEBERRIMI

# DISQVISATIONES TRES

- I.  
*De Principiis Iuris Naturæ, Diss. def. a. 1728.  
res. Christoph. v. S.B. ad Cullenburg.*
- II.  
*De primis Interpretationis Lineis, Diss. def. a. 1728.  
res. Geo. Epim. a Seydlitz.*
- III.  
*De Methodo docendi Antiquitates  
iuris Romani, Progr. ed. a. 1728.*
- IN CATHEDRA PVBLICA  
OLIM DEFENSÆ,  
NVNC VERO OB SINGVLAREM VTILITATEM  
RECVSÆ.

*Haar 3328*

*nov 2 1731*



HALAE  
LITTERIS IOH. CHRIST. HENDELII, ACAD. TYP.